



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab Anno Christi 1143. Usque Ad Annum 1176

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1762**

**VD18 90118014**

§. 6. Ecclesia Germaniæ.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66377](#)

scopum Cantuariensem datam, in qua Sæcul. XII.  
 Pontifex ei suadebat, præcipiebatque, A.C. 1169.  
 ne ullius censuræ sententiam contra Regem, vel Regnum, vel primi ordinis  
 Viros pronunciaret, ante redditum Nunciorum suorum, & si aliquam promulgasset, eam usque ad illud tempus suspenderet. In epistola ad Regem, ei in 3. ep. 2.  
 Dei omnipotentis nomine & pro remissione peccatorum suorum injungebat, ut Achiepiscopum Cantuariensem Ecclesiæ suæ redderet, & sincera mente eum secum in gratiam redire pateretur. Hæc epistola Beneventi decima Maji data. Præterea literas habebant Regi Franciæ scriptas, quas huic Principi Subiniaci in Burgundia commoranti, cum illuc divertissent, reddiderunt. Is Nunciis profectionem ad Regem Angliæ, qui in Vasconia cum exercitu versabatur, dissuasit, quo sine gravi periculo pervenire non possent. Ergo Senones se conferunt, ibidem Regis redditum præstolaturi.

### §. VI.

#### *Ecclesia Germaniæ.*

Inter hæc Fridericus Imperator, Comitiis Chron. Rei-  
 Bambergæ generalibus in Festo Pente- cher.  
 costes, hoc anno millesimo centesimo an. 1169.  
 sexagesimo nono in diem octavam Junii incidente, celebratis, quibus Cardinales  
 (saltem tales se esse jactabant) Legati Cal-

Sæcul. XII. Callisti III. Antipapæ, interfuerunt, Prin-  
cipibus quotquot aderant consentienti-  
bus, Henricum VI. filium suum quinque  
non plus annos natum, Regem coro-  
nari jussit.

Albertus neo-electus Archiepiscopus  
Salisburgensis, ab Imperatore ad hæc  
Comitia vocatus, cum patre suo, Rege  
Bohemiae advenit; cum vero ad col-  
loquium Imperatoris admitti petiisset,  
repulsus est. Nam statuerat ille Archi-  
episcopatum Salisburgensem occupare,  
quo etiam, meno Augusto ineunte, cum  
copiis pervenit. Quare Archiepiscopus,  
Optimatis & præcipue Duce Austriae,  
ejus Avunculo, id suadentibus, ut Ec-  
clesiarum Monasteriorumque ruinam  
averteret, tempori cedens, totum se  
Imperatoris arbitrio dedidit, eique  
Archiepiscopatum cum omnibus juribus  
Regalibus, Principibus præsentibus, re-  
signavit; quare Imperator de omnibus  
hujus Ecclesiæ Bonis pro lubitum decrevit.  
Eodem anno vigesima septima Junii  
*Gerbob Abbas Reicherspergensis* in pro-  
vincia Salisburgensi animam efflavit, anno  
ætatis suæ septuagesimo sexto, postquam  
hoc Monasterium annis prope triginta  
octo rexisset, Vir Doctrinæ & virtutis  
fama insignis, & causa Ecclesiæ Sacer-  
dotali vigore contra Hæreticos & Schis-  
maticos sub Innocentio II. ceterisque  
Ponti-

*ap. Tegna-  
gel.*

Pontificibus ejus Successoribus usque ad Sæcul. XII.  
Alexandrum III. defensa, illustris.

A. C. 1169.

§. VII.

*Conventus cum Nunciis Alexandri III.*

Cum Rex Angliæ in Normanniam re- 3. ep. 6.  
diisset, ac Nuncii Gratianus & Vi-  
vianus quoque in illam provinciam se  
contulissent, vigesima quarta Augusti in  
vigilia S. Bartholomæi Domfrontium per-  
venerunt, ubi eos hac ipsa Vespera Rex  
a venatione rediens, ante fores ipsorum  
hospitii, priusquam ad suum pergeret,  
ex equo desiliens, reverenter salutavit.

Ubi altera die illaxit, Rex iterum  
ad diversorum Nunciorum venit, &  
secum in conclave Episcopos Sagiensem  
& Rhedonensem intrare jubet. Post  
non longam moram Joannes quoque De-  
canus Saresberiensis & duo Archidiaconi  
Renaldus Saresberiensis ac Rudolphus  
Landavanus accersuntur. In illo loco  
usque ad horam nonam fuerunt, jam  
mansuete sermonem conserentes, jam  
magno clamore jurgantes. Nuncii Regi  
epistolam Papæ reddiderunt, quam cum  
legisset, in Archiepiscopum Cantuarien-  
sem invehi cœpit, sicut antea coram Gui-  
lielmo & Ottone Cardinalibus. Ubi  
deinde ad illam epistolæ partem oculos  
conjecit, ubi Pontifex ipsi injungebat,  
cum hoc Præsule in gratiam redire, ali-  
*Hist. Eccles. Tom. XVII.* Tt qua-

ep. 27.

*Sup. Lib.*

*LXXXL*

§. 45.